



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. Quantitas ditionis Pontificiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

§. I. *Descriptio Historica Status Pontificij.*N V M. I. *Nomen huius regionis.*

TOTVS hic tractus vulgò Status Ecclesiasticus appellatur, seu Dominium temporale, vt aiunt, summi Pontificis, Italis *Stato della Chiesa*, hoc est Cathedræ Pontificiæ: à quibusdam vetustioribus S. Petri Patrimonium; quamquam hæc vox communiter aptetur parti Tusciæ. Reperio hoc Patrimonium S. Petri Latij magnam partem complecti, ideóque Ceperanum castrum ad Liris & Piscinæ confluentias dicitur esse Patrimonij S. Petri limes. Reliqua nomina (paucis exceptis) aut vetusta sunt, aut desumpta à quibusdam vrbibus.

Romandiola nomen recentius, nam antè Flaminia, & Æmia dicta fuit; sicque nominata est à Romanis qui pro Pontifice, & Imperio fortiter dimicassent, licèt tandem Longobardis cedere essent coacti. Hic quoque Exarchatus fuit olim, & pars Pætapoleos, de quibus mox dicemus. Quomodo autem Romandiola laxius extensa fuerit, & Veronam vsque, & paludes Patuinas promota, leges apud Leandrum.

Marchia Anconitana nomen accepit à Longobardis, qui duo Marchionatus in Italiâ constituerunt Taruisinum, & de quo hic questio Anconitanum, sicque ab iis Piceni nomen expunctum est, cuius pars erat Pentapolis.

N V M. 2. *Quantitas dittonis Pontificiæ.*

Longitudo eius ducitur à *Melara* in Ducatu Ferrariensi, ad *Isoletam* in Liri fluuio, & quatuor totos gradus complectitur maioris circuli: igitur milliaria 240. leucas Francicas 120. Germanicas 60.

Latitudo porrigitur à Pro. Circeo ad vicum Palatum, in territorio Ferrariensi, continetque tres gradus cum 48. minutis; ergo milliaria 228. leucas Francicas 114. Germanicas 57.

N V M. 3. *Qualitas huius dittonis.*

CAMPANIA ROMANA. Eius aër parum salubris, tum ob Pom-